



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XCV. De Jubilæo lucrando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XCV.

De Jubilæo lucrando.

Tertius lucraturus Jubilæum aliqua opera ex injunctis peragit in Statu peccati mortalis; ultimum tamen opus ponit in Statu quidem gratiæ, sed cum affectu vigente ad aliquod veniale peccatum, vel certè cum peccato aliquo habituali non retractato.

QUÆR. I. An dici possit, quòd Tertius, ultimum opus præscriptum faciens cum affectu ad aliquod peccatum veniale, lucratus sit Indulgentias Jubilæi?

QUÆR. II. An ad Jubilæum lucrandum requiratur Status gratiæ pro toto illo tempore, quo opera injuncta ponuntur, anue sufficiat Status gratiæ pro solo illo tempore, quo ultimum opus perficitur?

QUÆR. III. An, si ultimum opus factum fuit in Statu peccati mortalis, recedente fictione, seu peccati obice, reviviscat postea Indulgentia?

554 **P**ro resolutione primi Q. ad-
verto, Indulgentiam dividi
in totalem, & partialem,
ex *Extravag. Unigenitus de*
Remiss. & Penit. Totalis dicitur ea,
quæ homini justo applicata om-
nem omninò poenam ex peccatis
ejus reliquam extinguit. Partia-
lis vel est inderterminata, ut si
remittatur tertia vel quarta pars
poenæ; vel determinata, v. g.
centum annorum. Porrò tota-

lem Indulgentiam subdividunt ali-
qui in plenam, seu plenariam, ple-
niorem, & plenissimam, quorum
omnium meminit Bonifacius VIII,
in *Extravag. Antiquorum de penit. &*
remiss.

Hinc D. Antonin. Navar. Re-
ginald. Major, & alii apud Palaum
pun. 14. putarunt, id discriminis
inter eas intercedere, quòd ple-
naria totam relaxet poenam eo-
rum

rum duntaxat criminum, quæ per Confessionem expressa fuere: Plenior verò totam eorum omnium, quæ fuerunt expressa per Confessionem, & simul eorum lethalium, quæ fuerunt omissa in Confessione per inculpabilem oblivionem. Plenissima denique totam omnium tam expressorum, quàm omissorum non lethalium solum, sed etiam venialium.

155 Hinc autem dicunt iidem AA. concessâ Indulgentiâ plenariâ simpliciter nunquam censi concessam plenior, aut plenissimam; cum concessio Indulgentiæ sit Strictè interpretanda: At concessâ Indulgentiâ omnium peccatorum, aut plenariâ in forma Jubilæi censi datam esse plenissimam.

Plenissima autem est, cum datur contritio, vel attritio, cum Sacramento Pœnitentiæ ex motivo universali extendente se ad omnia peccata tam mortalia, quàm venialia, ut omnia simpliciter aliquis detestetur, vel ex motivo contritionis quatenus opposita bonitati Dei, vel ex motivo attritionis, quod diversum esse debet pro peccatis mortalibus, & aliud pro peccatis venialibus, nisi forsitan quis ex motivo turpitudinis peccati illa detestaretur; nam hæc reperitur in quavis malitia veniali, & mortali.

Jam ex hac sententia patet, Titium non potuisse lucrari Jubilæum, in quò conceditur Indulgentia plenissima; plenissima enim esse non potest, ubi viget aliquis affectus ad peccatum veniale, quippè quo supposito respectu hujus peccati non potest remitti pœna; cum certum sit apud AA. non remitti pœnam, nisi remissâ prius culpâ; remitti tamen posse pœnam debitam peccatis, de quibus est dolor, & Confessio saltem peccatorum mortalium, si hæc requiratur, prout requiritur in omni Jubilæo, sive ut conditio, sive ut requisita aliàs ex Tridentino, antequam quis Eucharistiam sumat, & tunc fore non Indulgentiam plenissimam, sed plenariam, vel plenior, juxta Superiùs dicta.

Hi itaque AA. non repugnant, Titium, quantumvis non lucraturus esset Jubilæum, hoc est, Indulgentiam plenissimam, lucraturum tamen esse Indulgentiam plenariam.

Verùm hæc Navarri, & aliorum doctrina non probatur plerisque alijs AA. Suarezio *D. 50. Sect. 4.* Bellarmino, Tolet. Lug. Coninck, Sot. Cardub. Medin. Henriq. &c. idque saltem his temporibus, & spectato præsentis usu Ecclesiæ, ut ait Viva, quidquid fortasse in usu antiquitatis fuerit.

556 Hi itaque AA. omnes docent plenariam, pleniorē, & plenissimam nihil inter se penitus discrepare, vocarique aliquando plenissimam solum ad exaggerationem, & majorem commendationem; præsens quippe usus Ecclesiæ, & ut ait Gobat, modernus Stylus Curie Romanæ docet per plenariam id ipsam designari, quod per plenissimam intellexit Navarr. cum aliis citt. ut proinde quoties datur Indulgentia plenaria, toties jam censetur dari, & fieri relaxatio omnium pœnarum, quas quis in Purgatorio luere debet.

557 Verum hinc non levis difficultas insurgit ad 1. Q. imò non obscure deduci videtur, Titium in Casu posito nihil Indulgentiarum obtinuisse; cum enim plenissimam obtinere non potuerit, ut patet, ergo nec plenariam obtinuit, si plenaria, & plenissima in idem recidant.

Sed neque partialem obtinere potuit; quia Pontifex partialem non impertit, sed plenariam; Indulgentiæ autem tantum valent, quantum sonant, ut habet commune axioma: atqui in Bulla sonant Indulgentias plenarias: ergo &c.

Conf. Quia si partialem saltem obtinere posset, tunc vel esset decem, centum, vel mille an-

norum; nam ut observant AA. Indulgentiæ, ex quarum formula non constat quantitas pœnarum remittendarum, irritæ sunt, & nullæ, ut si diceretur: qui hoc fecerit, consequetur Indulgentiam plenariam, vel si quid obsit, quò minus sit plenaria, consequetur Indulgentiam partialem, nihil definiendo, quanta pars remittenda sit, talis concessio juxta Suarez d. 56. Sect. 1. Coninck, & alios irrita esset; quia effectus in re non datur, nisi determinatus: atqui id ipsum contingeret in casu nostro, si Titius ob affectum vigentem ad peccatum veniale non posset lucrari plenariam, prout re vera non potest: ergo &c.

Conf. 2. Quia hinc non valet dicere, quòd qui concedit, quod est plus, censetur concedere etiam quod est minus in eodem genere, si illud plus obtineri non possit; nam præterquam quod universale non sit illud effectum, ut patet in Deo, qui per pœnitentiam remittit pœnam æternam, non tamen etiam temporalem in Purgatorio luendam, & concessa potestate in corpus Christi reale, non hoc ipso censetur concessa in corpus mysticum, nisi illa specialiter concedatur; ita etiam concessa facultate lucrandi Indulgentiam totalem, non hoc ipso censetur data facultas lucrandi partialem, nisi hoc ipsum
expri-

non tamen visitasset unam ex præscriptis Ecclesiis, partialem saltem aliquam Indulgentiam lucraretur; nam opera omnia integrè perficere est conditio, sub qua implenda conceditur Jubilæum, & non aliter, ac proinde si opera non perficiantur integrè, conditio non est impleta, & ideò concessio nihil operatur; at verò omnium peccatorum retractatio, est quidem conditio, ut quis totaliter Indulgentiam lucratur; non verò ut partialem; cùm ergo partialis esse possit, & quidem non indeterminata, & vaga, sed determinata eorum peccatorum, de quibus est dolor, & retractatio, admitti potest ex mente, aut præsumptione Pontificis, ne ejus voluntas omninò frustretur, quòd Titius lucratus sit Indulgentiam partialem, seu relaxationem pœnæ debitæ peccatis, de quibus est dolor, & retractatio.

Secunda ratio est, quòd AA. ad lucrandum Jubilæum solummodo requirant, ut saltem ultimum opus fiat in gratia, ut patebit ex dicendis, non exigentes dolorem illum universalem, quò quis retractet omnia simpliciter peccata etiam venialia: ergo concedunt posse Titium Jubilæi fructum consequi, saltem secundùm ea peccata, quæ retractat, & hic DD. sensus cum ratione præce-

dente insinuata opinionem hanc valde probabilem facit.

Ego utriusque sententiæ aliquid ⁵⁵⁹ deferendum puto, & quidem priorem sententiam locum habere, si Titius voluntate reflexa vellet habitualiter permanere in aliquo peccato veniali, & multò magis si cum actuali affectu vellet in aliquo veniali perseverare; tunc enim videtur, Titium nihil de Indulgentia lucraturum; quia dignus non est accipere partem, cui offertur totum, si & totum possit habere, & illò indigeat, & per ipsam stet, quominùs accipiat.

Accedit, quòd, prout advertit P. Gobat, Indulgentiæ dentur à Pontifice ea intentione, ut quis lucratur eas integrè: ergo cùm Titius possit integrè eas lucrari, si se disponere velit, & tamen non faciat, non erit intentio Pontificis, ut nolens illas integrè lucrari, lucratur illas saltem partialiter, & eo modo, quo ipse vult.

Contra verò censeo, Titium lucraturum partialiter saltem Indulgentias Jubilæi, si præter quasi intentionem, & ex fragilitate obiens ultimum opus v. g. Communionem, aut visitationem unius ex Ecclesiis laberetur in aliquod peccatum veniale, v. g. vanæ gloriæ, impatientiæ, aut distractio-

nis.

exprimatur; nam si partialem vellet, posset Pontifex & deberet sub disjunctione concedere plenariam, si quis plenariam velit, vel partialem centum, vel mille annorum vel tertiæ partis pœnarum, si tantum partialem lucrari velit; quis autem hucusque Bullam Jubilæi ita interpretatus est? Accedit, quod cum nullam determinatam pœnam exprimat Pontifex, quæ remitteretur casu, quo plenaria non obtineretur, irrita esset concessio juxta supra dicta, quia effectus in re non datur, nisi determinatus.

Conf. 3. Si quis poneret medietatem operum injunctorum v. g. visitationem Ecclesiæ, & dationem Eleemosynæ, non lucraretur medietatem Indulgentiæ, quia hæc conceditur indivisibiliter: ergo pari modo si non remittitur pœna alicujus venialis non remitti, nulla simpliciter pœna remittitur; quia aliàs Indulgentia daretur divisibiliter.

Porrò quamquam allatæ rationes probabilem reddant sententiam affirmantem vi Jubilæi, aut alterius Indulgentiæ plenariè concessæ vel obtineri Indulgentiam plenariam, vel nullam.

558 Nihilominus opposita sententia non caret sua probabilitate, & rationibus. Prima ratio est; quia ut ait Gobat fol. 254. n. 278. haud

dubiè potest efficaciter velle Pontifex, ut Titius nihilominus obtineat remissionem omnium pœnarum cæteris peccatis, de quibus dolet, debitarum: imò non tantum posse, sed etiam re ipsa velle Pontificem, ut earum pœnarum obtineatur eo in casu remissio; tum quia voluntas Principis non debet frustrari, *cap. in his de privil.* tum quia in dubio potius est accipienda præsumptio, ut actus ex parte valeat, quam ut penitus pereat, ut adeò si dispositio pœnitentis non sit sufficiens pro plenaria, saltem sufficiens sit pro non plenaria; verba enim aliquid operari debent: *cap. si Papa de privil. in 6.* ergo etiam si dispositio pœnitentis non sit sufficiens pro plenaria, erit saltem pro non plenaria; quando enim à Pontifice conceditur Indulgentia plenaria sub ratione totalis, & plenissimæ, sensus est, ut ait Dominic. Viva Quest. 6. a. 2. quod concedatur plenissimè juxta capacitatem subjecti; subjectum autem capax non est, ut ei remittatur pœna debita veniali non remisso: ergo Indulgentiam plenariam non simpliciter, sed quoad ejus fieri potest juxta propriam dispositionem lucratur is, qui habet venialia, quamvis per illam omnis omnino pœna non remittatur.

Nec tamen hinc sequitur, quod qui pro Jubilæo v. g. jejunasset, non

Gg gg 2

nis voluntariæ, quod nec formaliter, nec virtualiter detestaretur non advertens ad necessitatem illud retractandi ex hypothesi, quod plenarias Indulgentias velit lucrari. Ratio autem est; quia tametsi nulla Indulgentia remittat unquam culpam aliquam ne venialem quidem directè juxta communem DD. cum Indulgentia sit relaxatio, & remissio pœnæ, & non culpæ, & remissio pœnæ supponat remissionem culpæ, indirectè tamen sæpè dimittitur culpa per exercitium orationis, & maximè Dominicæ preceationis, in qua petimus dimitti peccata quotidiana, quæ etiam à justis non nunquam committuntur: Unde fieri potest, ut qui orationem inchoavit cum peccato aliquo veniali, illud tamen sibi remittatur per ultimam partem illius orationis, v. g. per ultimum Pater, & Ave, quod adeò cum ultimam partem exequitur, immunis quoque sit à peccato veniali per retractationem saltem virtuales, qualem ex mente S. Aug. continet recitatio devota preceationis Dominicæ, quo posito etiam plenariam poterit Titius obtinere, nisi aliunde aliud obstat.

Quod si autem ponamus Titium non carere omni culpa veniali habituali, cujus nimirum

per negligentiam, vel inadvertentiam non pœniteret; nihilominus tenendum est, cum lucrari non quidem plenariam Indulgentiam, quia plenaria esse non potest ob præsentem culpam venialem non retractatam, sed partialem de peccatis omnibus, de quibus dolet. Ratio præter supra allatas est, quod non sit credibile, Pontificem non aliter voluisse Jubilæum obtineri, nisi ab iis, qui omninò mundi & immunes essent à culpa etiam veniali, quod vix sperari potest, saltè à communi hominum fece, & ab homine sæcularibus negotiis implicito, attempta quoque hominum fragilitate, & in leves culpas proclivitate; nec expectare potuit à Sæculari, quod desiderari potest in Religioso, ut ita quis liber sit ab omni affectu, ut tota ejus mens feratur in Deum, & præter Deum nihil cupiat, nihil inordinatè amet; ut adeò rectè dicatur cum citt. Viva, Pontificem plenariam Indulgentiam concedere juxta capacitatem subjecti. Ex supra relatis colligi hinc potest, vel maximè consultum esse, ut, dum ultimum opus injunctum peragitur, conetur unusquisque eos actus elicere, & exercere, quibus venialia omnia retractentur, ac remittantur, ut simpliciter, & absolute plenaria Indulgentia obtineatur.

§60 Ad 2. Q. An requiratur Status gratiæ pro toto illo tempore, quò opera inuncta ponuntur? Affirmativè respondet Cajetanus in Tract. de Indulg. cap. 9. ubi contendit, eum, qui Indulgentiam consequi cupit, charitate ornatum esse debere, tum tempore usus, tum tempore operis, quod fieri præcipitur. Cajetani sententiam amplectuntur Navarrus in lib. de Jubil. & Indulg. notab. 17. n. 11. Armilla V. Indulgentia, n. 14. Comitol. q. 37. Hadrianus, & alii. Moventur 1. Quia juxta tenorem Bullæ Jubilæum iis duntaxat conceditur, qui verè pœnitentes, & Confessi visitaverint Ecclesias præscriptas, jejunaverint, oraverint &c. ergo videtur, quòd hæc fieri debeant à verè pœnitentibus &c. adeoque in Statu gratiæ existentibus.

2. Quia opera, quæ à Pontificibus in Jubilæo præscribuntur peragenda, inunguntur in Dei obsequium, ad Deum placandum, ad ejus justissimam iram avertendam, ad aliquod ingens bonum promerendum &c. atqui opera, quæ extra Statum gratiæ fiunt, cum sint opera inimici Dei, non possunt esse in obsequium Dei, & ad Deum placandum: ergo non sunt opera requisita ad obtinendum Jubilæum, præsertim cum opus ad lucran-

dam Indulgentiam requisitum, debeat esse meritorium, ut cum aliis notat Navarr. citt.

Nihilominus communis DD: sententia cum Suarez D. 52. Sect. 5. D. Antonin. in 1. part. Summ. tit. 10. cap. 3. §. 5. Sylvest. Palao pun. 8. Laym. Bonac. Felin. Palud, & aliis veriùs docet sufficere Statum gratiæ, dum ultimum opus inunctum perficitur, quò applicatur Indulgentia, attendita scilicet communi forma concedendi Indulgentias; quia dubium non est, quin possit Pontifex postulare Statum gratiæ etiam pro tempore, quò inuncta opera peraguntur sub tali pia conditione, prout ipse voluerit, & expedire judicaverit, uti advertit Suarez l. c.

Probatum communis sententia 1. Quia Summus Pontifex potest Indulgentiam concedere sub conditione talis operis abstrahendo ab hoc, quòd in gratia, vel ex gratia fiat; cum hoc non obstante adesse adhuc possint conditiones ad Indulgentiam requisitæ, scilicet utilitas, & honestas finis, auctoritas in concedente, & capacitas in recipiente, quam sufficit habere, si tempore, quo applicatur Indulgentia, sit in gratia: ergo quoties expressè aliud non declarat Pontifex, prout in communi forma concedendi Indul-

Indulgentias contingit, concessio Pontificia ita est interpretanda, tum quia cum Indulgentia favorabilis sit; late est interpretanda, quantum verba patiuntur; hæc autem Confessionem, vel contritionem requirit duntaxat ad effectum Indulgentiæ; non verò ad singula opera, & aliàs quando in Jubilais plura opera peragenda præscribuntur, deberet simul exigi, ut Confessio anteponatur reliquis operibus, ut hæc in gratia fierent; quod tamen nunquam fit, sed potius contrarium apud plerosque contingit, qui ante Confessionem peragunt alia injuncta opera, & quam plurimi antequam confiteantur, non sunt in Statu gratiæ constituti, sicque pauci Indulgentiam lucrarentur. Unde Laym. l. 5. tr. 7. cap. 7. Consultius esse ait, opera injuncta prius perfici, tum ut animus hominis ad Sacramenta dignius & cum majore reverentia, & fructu suscipienda præparetur; tum quia probabilissimum est, Indulgentiam peccatorum accipi, cum omnia præscripta fideles impleverunt, si eo tempore sunt in Statu gratiæ; de quo & Indulgentiæ consecutione certiores, & securiores erunt, si ultimo loco ritè de peccatis confessi Sacram accipiant communionem; quamquam utique etiam consultius sit ante omnia de peccatis confiteri, ut reliqua opera in Dei gratia peragantur.

Prob. 2. Quia Status gratiæ non requiritur propter meritum ita scilicet ut opus meritorium, aut satisfactorium sit de condigno, quia ratio Indulgentiæ non fundatur in proprio merito, vel Satisfactione recipientis; si enim Indulgentia esset ex propriis meritis, jam non esset Indulgentia, ut notat Gloss. in *Extravag. Antiquorum de Penit. & Remiss.* Sed Status gratiæ requiritur duntaxat ad hoc, ut subiectum capax sit talis effectus, quando Indulgentiæ effectus est ponendus, scilicet quando ultimo perficiuntur opera injuncta, & applicatur Indulgentia. Unde

Ad rationes in contrarium R. ad 1. per verba Bullæ indicari duntaxat exigere Confessionem tanquam dispositionem necessariam ad Indulgentiam obtinendam; non verò expressè requiri, ut prius quis confiteatur, & ponatur in Statu gratiæ, & deinde visitet Ecclesias, oret &c. adeoque sufficere, si quis in Statu gratiæ sit eo tempore, quo Indulgentiæ effectus ponendus est, ad quem obtinendum Confessio, & reliqua opera injunguntur, & postulantur.

Ad 2. R. Opera peccatoris posse esse in Dei obsequium non quidem tanquam meritoria ex condigno, sed tanquam meritoria, & impetratoria ex congruo, utpo-

utpote quæ sunt ex auxilio supernaturali, ac propter finem ultimum supernaturalem ac in Dei obsequium, Deumque placantia; & licet sint opera peccatoris, seu inimici; sunt tamen opera inimici tendentis ad reconciliationem cum Deo, hominemque disponunt saltem remotè ad relinquenda vitia & ad gratiam impetrandam, & idcirco Deo placent, quatenus sunt ex motione ipsius convertentis hominem ad se. Accedit, quòd ad concedendam Indulgentiam sufficiat, quòd opera injuncta ex se sint honesta, & bona, ut ex iis redundet utilitas communis, & Dei gloria, etiamsi ex fine extrinseco sint mala, & vitentur, dummodo de se sint satisfactoria, ut elevari ad satisfactionem ex opere operato possint.

561 Ad 3. Q. An, si ultimum opus totum fiat in Statu peccati mortalis, remoto deinde obice, seu si postea pœniteat, reviviscat Indulgentia? Affirmant Diana *part. 4. tr. 12. R. 4.* Henriq. *l. 2. cap. 4.* Quintado. Granad. Palud. & alii; saltem pro casu, quo Titius confiteretur, & dolorem aliquem conciperet, bona fide existimans, se legitimè confessum, & contritum, & tamen non justificaretur, eò quòd dolori deficiat aliqua qualitas requisita; quo in casu putant, eum, qui in Statu peccati mortalis

omnia opera injuncta posuit, deinde recedente fictione per contritionem, vel Confessionem effectum Jubilæi consequi. Rationem dant 1. Quia quamvis propter occultum, & inculpabile defectum non receperit gratiam, credendum tamen est de pietate Ecclesiæ, eam ita dispensasse thesaurum, ut Titio profit, cum primum fuerit justificatus; quòd enim Ecclesia ita thesaurum dispensare possit, non est impossibile; imò re ipsa dispensare suadet ejus pietas, quæ non patitur fideles tanto bono privari propter prædictum effectum.

Confirmatur; quia Baptismus in Statu peccati mortalis susceptus, recedente fictione, sortitur suum effectum, saltem quando bona fide receptus fuit ab eo, qui credebatur esse se benè dispositum. Ergo idem videtur dicendum de Indulgentiis. Prob. consequ. quia dictum Sacramentum sortitur postea ideò suum effectum; quia ille est ex opere operato: atqui effectus Indulgentiæ est etiam ex opere operato: provenit enim ex applicatione operum Christi, & Sanctorum &c. ergo.

Oppositum tamen, tenent Suarez *D. 52. S. 2.* Coninck *D. 12. 562 de Sacram. cap. 7.* Sorus, Palao, Filliuc. Sà, alique communius; quia, ut ajunt, non habetur sufficiens

ciens fundamentum credendi hanc esse Summi Pontificis intentionem; Indulgentiæ enim effectus pendet ex voluntate concedentis: ergo si Pontifex velit tunc poni effectum Indulgentiæ, quando primò posita sunt omnia opera requisita, interjecto obice ipsi effectui, nequit tunc effectus poni, stante illo impedimento, ut patet; sed nec poni potest recedente fictione, seu obice; quia Pontificis voluntas, quæ est causa talis effectus, solum vult illum causari, quando primò posita sunt opera injuncta, non verò deinceps, & quodcumque quis justificabitur; hoc ipso enim quòd Pontifex temporì determinato Indulgentiam annectat v. g. anno sancto, si quis post annum Jubilæi, seu tempus determinatum per contritionem, aut Confessionem justificaretur, deberet obtinere Indulgentiam post illud tempus, quod est contra mentem concedentis, & verba Bullæ; & licet possit Pontifex, (quod tamen non nulli negant cum Cajet. apud Suarez l. c.) concedere Indulgentiam, quæ tali modo conferat effectum; dicendum tamen non est ita defacto contingere, tum ob allatam rationem, tum quia, ut inquit Coninch l. c. valde liberalis sic fieret remissio pœnarum peccatori, si ei conferretur hujusmodi remissio sub conditione, quòd justificetur, quodcumque id

R. P. Leonardelli Soc. Jesu,

fecerit, hoc enim, ait ille, videtur dedecere prudentem dispensatorem Thesauri Ecclesiastici.

Confirmatur, vel Pontifex applicat Thesaurum Ecclesiasticum homini pro eo tempore, quo est in gratia, vel pro eo tempore, quo gratia caret? si hoc posterius, talis intentio est irrationalis, & contra jus divinum, hoc ipso, quòd talis homo sit incapax effectus Indulgentiæ. Si prius fiat, tunc statim applicatio habebit suum effectum in homine existente in gratia; in eo verò qui caret gratia nunquam habebit; quia ad illum non dirigitur intentio, & applicatio, cum defacto ex mente Pontificis, & verbis Bullæ contrarium colligatur, uti etiam ex *L. pecuniam, ff. si certum petatur.* Ubi concessum sub una conditione censetur ademptum sub opposita: cum ergo Pontifex Indulgentiam concedat sub conditione statùs gratiæ, sub privatione gratiæ censerì debet hujusmodi beneficium adimere, & Indulgentiam non concedere.

Nec paritas est cum iis Sacramentis, quæ recedente fictione reviviscunt; cum id fiat ex speciali privilegio, & propter specialem causam, quæ in Indulgentiis locum non habet; & Baptismus quidem reviviscit recedente fictione, & gratiam cau-

H h h h

lat;

fat; quia cum talis effectus sit simpliciter necessarius ad salutem, & Baptismi Sacramentum sit irreiterabile, debuit ita institui, ut effectum causaret, vel quando primò posita sunt constitutiva Sacramenti, si tunc non interponatur impedimentum, vel quando post constitutiva posita tollitur impedimentum per aliquod medium aptum v. g. contritionem &c. quæ ratio non pugnat pro Indulgentia, nec hoc modo à Pontifice concessa fuisse censetur. Præterea Sacramentum verè perficitur, & applicatur homini absque effectu propter fictionem, quâ postea sublatâ datur effectus propter Sacramentum priùs applicatum; Indulgentia verò in se re vera non perficitur, neque applicatur, quia nec conditio ad il-

lam requisita impleta est, nec etiam facta est applicatio Thesauri, donec contritio habeatur juxta formam concedentis. Ex his patet etiam responsio ad rationes in contrarium allatas.

Illud tamen hîc concedendum arbitror, si quis pœnitens, & contritus obicem removeret durante adhuc Jubilæo, Indulgentiam reviviscere, etsi non repentantur opera injuncta, quia, ut suppono, omnia opera requisita peregit, & modò est in Statu gratiæ, & capax, ut obtinere possit relaxationem pœnæ ac remissionem, quæ adhuc fieret intra tempus assignatum, & concessum ad Indulgentiam lucrandam.

